



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

Turner, Robert

Coloniae Agrippinae, 1625

6. Ad Eccl. Leod. DD. nomine Guiliel. Ducis Bauari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69519)

tantumne? etiam Deum, in cuius manu est via & vita Principum, rogabimus serio, perpetuo, suppliciter, de beneficiis in nos collatis, has vestes nostras, has patientias, hos pileos, denique reliqua omnia nostra ornamenta intexat quasi gemmas illi coronæ, quam tibi in cælo imponet, de exemplo splendidam, de pietate auream, de religione summam. *Dixi.*

ROBERTI TURNERI
ORATIO VI. NOMINE SERENISSIMI Principis Guilielmi Comitis Palatini Rheni, vtriusque Bauariæ Ducis, &c. habita ad reuerendos, generosos, ac honoratissimos Ecclesiæ Leodiensis Dominos.

Amor (R.G.DD.) siue qui fictus à Poëtis agitur furore, siue qui delibatus è cælo afflat spiritus solet, quicquid agit, aut infra rem agere, aut supra opinionem: nihil agnoscit moderati, nihil certè omnia turbat, omnia miscet: in vna tantum re habet legem, quod nulla lege aut potest aut vult deuinciri monstrum videor loqui, sed monstrum non est, amor est, quicquid loquor: atque vt id, quod dico, videatur conspirare cum veritate maxime, cogitate nihil esse sanctius, nihil diuinius illo amore, qui grato animo proficiscitur, & tamen hic grati animi amor, ita alget, ardet, ita stupet, acuitur, ita currit, subsistit, ita vacillat, hæret, quo videatur sincerius, vt qui re non fuerit gratus, is nunquam aut difficulter sane collegerit ex tam dissidenti notione verum amoris sensum, quæ animi motio si quem vnquam affecerit, affecit maxime Serenissimum Principem Dominum Guilielmum Comitem Palatinum Rheni, vtriusque Bauariæ Ducem, Dominum

*Vero amore nihil san-
ctius, &c.*

ORAT. VI. AD REVER. DD. LEOD. 45

minum Patronum nostrum longe benignissimum, qui
 ut certum aliquod certi amoris indicium edat de hoc
 huius Ecclesiae summo honore à vobis in illustrissi-
 mum fratrem collato, ita agit omnia, ut nihil tamen vi-
 deatur agere, ita nihil videtur agere, ut omnia tamen
 agat: quare etsi fortasse prudentiae fuisset, amorem,
 quem dicendo nunquam consequaris, suppressere ta-
 men cum omnes consuetudinis vel antiquitate imbu-
 ti, vel peruersitate infecti amorem velint exprimi, non
 velint suppressi, voluit prudentissimus noster Prin-
 ceptis vobis à me dici se amare vestram, in dilectissi-
 mum fratrem insignem voluntatem: sed tam breuiter
 voluit à me dici, ut facile colligatis, velle eum, quare
 non ex oratione eloquentiae, sed ex breuitate, pruden-
 tia laudem: quare impertite mihi modici temporis v-
 suram, & ego vobis explicabo perpetui temporis amo-
 rem, qui debet videri iucundus, non tam quod est infu-
 sus in vos, quam quod est effusus ab eo Principe, quo
 nihil vidit Sol benignus, nihil religiosius habet terra.
 In hoc officio siue beneficio quod in illustrissimum
 Principem Ernestum contulistis, etsi omnia videat
 Princeps noster, quae amer: tamen vult intelligi, se non
 tam amare, quod fecistis eum Comitem, natus enim
 fuit Dux: nec quod creastis eum nouum Ducem, re-
 nunciatus enim fuit Episcopus: nec quod eum auxistis
 nouo Episcopatu, dignus enim fuit omnis infulae omni
 honore: quam quod natum Ducem; creatum Episco-
 pum, ita nouo Ducis, nouo Episcopi amplificastis ho-
 nore, ut vestro iudicio videat dignus hoc, videatur di-
 gnus illo: nam non omnis honor omnem ornat, sed
 quo quisque est dignus maxime, is eum ornat maxime:
 quem virtutis fructum voluistis libari, decerpi ab illu-
 strissimo Ernesto, cum eum vocastis ac prouocastis, ut
 esset Episcopus Leodiensis: vnde cum hac circumstan-
 tia augeatur vestrum in Principem Ernestum officium,
 augetur quoque Principis nostri in vos sincerus amor.

Attentio:

See

Sed ut res hac nullo externo pigmento aut fūco illita
 & mihi auferat adulationis speciem, & vobis adferat
 summi beneficij summam laudem, colligamus omnes
 circumstantias. Decreuistis Principi Ernesto hono-
 rem Sedis: cuius? optimæ optimæ, loquitur res ipsa
 decreuistis homines: qui? Leodienses, id est, iudicio,
 ingenioq̄, præstantissimi: produnt historiae: decreui-
 stis tempore: quo? nolo dicere, ne tubarum ac turba-
 rum strepitu contaminem hodiernæ diei latitiam:
 decreuistis gratulantibus: quibus? orbis summo Pon-
 tifice communi Patre, Serenissimo Bauariæ Duce, ve-
 stro amico: quæ omnia tantum faciunt ad huius hono-
 ris amplificationem, ut cogar exclamare, ô foelicem
 Principem Ernestum à vobis factum Episcopum Leo-
 diensem, in cuius summam laudem conspirarunt tem-
 pus, locus, populus, Deus, Pontifex, Dux, atque ita con-
 spirarunt, ut si Deus hanc Principi Ernesto lauream
 non seruasset, non videretur prouidus: si non impo-
 suisset populus, non videretur prudens: si non nexuif-
 sent tempus, locus, non videretur facta ad normam:
 si non gratularentur summi Principes, non viderentur
 humani: sed cum sint humani summi Principes, facta
 ad normam tempus, locus, populus prudens, prouidus
 Deus, hanc lauream Reuerendissimo Ernesto serua-
 runt, nexauerunt, imposuerunt omnes, idq̄; tanto cum
 iudicio, ut singuli non tam gratularentur illi in hono-
 re, quam vobis in officio, et si nature vis sit tanta, ut cum
 Princeps noster maxime nolit, irrepat in dictionem
 grata sui fratris memoria, tamen vestri officij tanta est
 laus, ut si Principis nostri amorem non communi tru-
 tina, sed iudicij, tanquam aurificis statera, examinaue-
 ritis, vix ac ne vix quidem possitis statuere, magisne
 amet in Ecclesia Leodiensi Episcopum fratrem, an in
 Episcopo fratre Ecclesiam Leodiensem: quare cum a-
 mor hic varius ac multiplex in duas se fundat partes,
 hunc in fratrem pie, inde in Ecclesiam Leodiensem a-
 micè

mice, si quando implicem ac permisceam officium cum natura, amorem vestrum cum amore fraterno, id conor efficere, ut vel ex duplici amore vnus amoris quasi cinnus aptus sit ac perpulchre mistus, vel Principis nostri amor totus ex illustrissimo Ernesto effluat tanquam fratre, in vos influat tanquam amicos, aut, ad coniunctionem firmiter, ex illo effluat tanquam capite, in vos influat tanquam membra.

ROBERTI TURNERI

ORATIO VII.

Dij omnia laboribus vendunt.

Cum in omnia, quę huius fabricę complexu coęcentur, mentis meę aciem intendo, singulas quę tantę molitionis fabricator Deus nutu potius quam opera, Numine potius quam labore conglutinauit, animo comprehendo, mihi videre videor quandam effigiem & formam tanquam penicillo depictam, ad quam tanquam exemplar Deus omnes actiones nostras voluit effingi. Nam dum cęlum motione quadam concitatissime contortum, laboreq; sempiterno agitatum, dum terram nihil fundentem, nisi immensus hominis bouisq; labor prius accesserit, dum hominem, quem natura ingenij acumine illustrauit, & mentis diuino munere cumulauit, non solum in grauioribus hebescentem, sed in leuioribus nonnunquam claudicantem, nisi in vi splendoreq; ingenij sui doctrina exornando, eloquentia poliendo, humanitateq; quasi informando omnes laboris industrięq; suę neruos intenderit, dum nihil, in quamcunque partem mentis meę vim intelligentięq; notionem infixerim, vel

*Ad Dei
opea om-
nes actio-
nes nostrę
dirigenda.*

vel